# *NARCISSVS.*

SIVE

# AMORIS

IVVENILIS ET PRÆCIPVE PHILAVTIÆ BREVIS *ATQVE MORALIS* DESCRIPTIO





LONDINI,
Excudebat Thomas Scarlet. 1591.


MVSEVM
BRITAN
NICVM


# CLARISSIMO ET NOBILISSIMO DOMINO HENRICO COMITI SOVTHAMTONIÆ:

*Johannes Clapham virtutis, atque honoris incrementum, multósque annos fœlices exoptat.*



Onnihil vereor (illustrissime Domine) ne multis ego cum *Narcisso* meo, cuius in his versibus errores descripsi, ipse etiam videar vmbram affectare propriam, & cum eodem prorsus insanire. Quid enim stultius, aut ineptius, quam cum tutò latere liceat, aliorum se iudicio temerè exponere, eaq; in publicum proferre, quæ nihil aliud præ se ferunt, quam ingenij tantum leuis, atq; otiosi indicium? Cæterum qualiscunq; erit aliena de me opinio,

pinio, haud malè mecum agetur, ſpero, ſi teneram hanc prolem, quaſi iam poſtliminiò natam, (licet multis forſan abortiua videri poſſit) honoris tui patrocinio dignam exiſtimaueris. Placeat ergo (Honoratiſſime) quantùlumcunque hoc poëma ſub nominis tui auſpicio non infœliciter in lucem proditurum, vt certum animi erga te multum officioſi, honorìque tuo maximè deuoti teſtimonium excipere. Quod, cum perlegeris, ſi gratum tibi eſſe intellexero, ſat equidem habeo, ſin aliter præter optatum euenerit, humiliter obſecro, parcas erroribus meis, & vmbram tantum (quę nihil eſt) te vidiſſe arbitrere.



# NARCISSVS.

Ver erat, & roseis surgens Aurora quadrigis
Liquerat Oceanum, cum Sol cœpisset ab ortu
Præcipiti cursu noctes æquare diebus,
Tum iam nuda diu folijs, & floribus arbor,
Et fœcunda nouo tellus velatur amictu.
Tum frondere nemus, lenti turgescere vites
Incipiunt, montésq; & læta virescere prata.
Vndiq; per syluas volucrum concentus in auras
Labitur, & varijs resonant clamoribus arua.
Tum stabulis audent pecudes exire, soléntque
Ludere pastores calamis, dum valle relicta
Excelsis teneri saltant in montibus agni.
Est in secessu longè pulcherrima, diues,
Maximàque illarum gelidis quas alluit vndis
Oceanus, varijs terræ ditissima donis
Insula, (qua graditur Phœbus, cum vespere sero
Tendit ad Occasum) quæ Fortunata vocatur.
Quippè sub imperio Reginæ virginis aucta
Floret, & æterna fruitur secura quiete.

*Hic ortus Narcissus erat pulcherrimus (atqui*
*Natus abortiuus) iuuenis, quem luminis orba*
*Prosperitas genuit, peperitque Superbia vana,*
*Et tepido Erroris nutriuit Opinio lacte.*
*Grandis in hac terra sylua est, vbi fertur Amoris,*
*Aula Dei cæci, multis benè nota teneri.*
*Florida (ni fallor) dicta est, latissima sylua,*
*Splendida, densa, virens, altis circundata muris,*
*Nam semel ingressi vix inde reuertere poßunt.*
*Regia porta, micans auro, speciosa columnis*
*Noctes, atque dies patet ingredientibus, atqui*
*Non licet ingressis sine dextra numinis, idque*
*Per rigidos mentes, perque ardua saxa redire.*
*Præteriens portam facilis tibi trames, vtrinque*
*Consitus arboribus patulis æqui ordinis; Illic*
*Mollia lasciuæ posuere cubilia Musæ.*
*Hinc, atq; hinc nemus est, & inextricabilis error.*
*Vlterius gradiens augusta palatia cernes*
*In quibus historiæ vetres pinguntur eorum,*
*Quos olim pharetratus Amor superauerat; Illic*
*Herculis effigies telas, & fila tenentis,*
*Quem positis armis, niueo velamine cinctum*
*Vndique formosæ circumsedere puellæ.*
*Quin et Abydeni tristis fortuna Leandri*
*Pingitur, vt tumidas nimis audax pernatat vndas*

*Ipse ratis, remi, teneræ quoq; vela carinæ,*
*Cuius vt aduentum modò sperat amabilis Ero,*
*Perfida nocturno malè conscia flamma labori*
*Prodit, & (infandum) miseros extinguit amãtes;*
*Illic magnanimus Troianæ gloria gentis*
*Hector, & infœlix Paris, & furiosus Achilles.*
*O ibi quæ strages populorum, & funera regum,*
*Magnorumq; ducum, quos omnes vna perire*
*Fæmina, purpureasq; animas effundere fecit.*
*Illic Scipiadæ victores, impiger illic*
*Hannibal, & magnus Cæsar, duo flumina belli,*
*Atq; alij multi, quos sub iuga dura redegit*
*Sæuus Amor captos, & de quibus ille triumphat.*
*Huc properant iuuenes, lætissima turba, laboris*
*Impatiens, audax, penitus secura malorum.*
*Huc simul agglomerant, vt candida tecta columbę*
*Vtq; petunt densi demortua corpora corui,*
*Siuè vt apes æstate solent per rura volare,*
*Cum prima repetunt fœtæ pręsepia nocte.*
*Huc inter alios insueto ardore calescens,*
*Candida cui comites Libertas, atq; Iuuentus*
*Iam celeri gressu noster Narcissus adibat.*
*Cum venit ad syluam, quę lata Cupidinis aula est,*
*Lurida Pigrities, cui cura, vt limina seruet,*
*Præ foribus iuuenem recipit, comitérque salutat,*

*Corpore crassa, rubens oculis, incompta capillis*
*Per latos humeros pendentibus, atque supremo*
*Pectore nuda, nihil præstat, sed tota iocatur,*
*Ludit, edit, dormit, Veneríque est fida ministra.*
*Illa sui iuuenis blandis amplexibus hærens*
*Exultat, manibúsque tenens comitatur euntem,*
*Et simul ad cœci penetralia ducit Amoris.*
*Primus ibi Visus gradus est, Sermóque secundus*
*Tertius est Tactus; supra sedet ipse Cupido,*
*Cuius dextra tenet calamos, arcúmque sinistra,*
*Vestis ei nubes variæ, flammæq; cathedra,*
*Ex vtraque manu Dolor, & malesuada Voluptas,*
*A tergo lacerata comis sedet atra Ruina,*
*Effrontisq; Pudor simul, & deformis Egestas*
*Luget, & æternum stultos lugebit amores.*
*Dum miser huc illuc iuuenis circumspicit, arcum*
*Acer tendit Amor, calamumq; immittit acutum,*
*Qui modò per venas, perq; ilia feruida transit;*
*Protinus & magna clamatur voce per aulam,*
*Noster eris, captum da te sub numine nostro.*
*Ille tener calami violento saucius ictu*
*Pectore vulnus alit, (mirum) nil sanguinis illic*
*Apparet; siquidem grauiora pericula dicunt,*
*Cum tacita internis celantur vulnera venis.*
*Accedens propius, tuus, ô tuus inquit. Amoris*

*Seruus*

Seruus ero, & flexis genibus se subijcit illi,
Ceu rapidis ventis tenuissima cedit arundo.
Surgit Amor, iuuenem soliq; affatur ab alto.
Mitte omnem Narcisse metum, recteq; notato,
Quę tibi dicturus, memoriq; in mente repone.
Sint tibi Deliciæ, nutrices, Otia, curæ,
Blanditiæ cibus, & solatia maxima, Nugæ,
Spes q; Timorq; tui comites, & amica Voluptas,
Temporis amissi, sumptus, magniq; laboris
Pœniteat nunquã (parcos Amor odit, vt angues)
Si tibi virgo placet, quamuis pice nigrior, illam
Formosam, mollem, nitidámque vocare memento.
Si deformis erit, faciem laudare venustam,
Prespicuã frontem, roseasq; genas, & lumina clara,
Lumine quæ dices Lunæ præstare bicorni,
Et vultum Solis radios, Solemque referre,
Cum pleno aspectu toto nitet aureus orbe,
Candida colla, manus longas, flauósque capillos,
Erectósque humeros laudabis, & improba blandis
Suppleat ars verbis quicquid natura negauit.
Denique dic puro Venerem superare nitore,
Ingenio Musas ipsas, Charitésque decore.
Crede in amore tuo multum mendacia prosint
Et conficta dolo, benè quæ simulata, probantur.
Præcipuè (vt fertur) laudari fœmina gaudet

 Qua-

Qualiscunque, licet falsa, & ludibria narres,
Vera putat; siquidem leuis est, & credula semper,
Garrula voce, sibi contraria, vana, superba,
Lubrica, crudelis, mutabilis, atque morosa.
Qui sequitur fugiet, fugientémque ipsa sequetur,
Quídque velit, nescit, quod tu vis improba nolet,
Vult, nō vult, & nunc, quod nuper amauerat, odit.
Tam vaga fœmineo cerebro est innata voluntas;
Sis quóque facundus sermone, & sit tibi mollis
Vestitus, varius forma, atque colore, memento
Mores sectari, cantare, salire, iocari,
Ludere nunc fidibus, nunc tristes scribere versus,
In quibus (vt mos est) fortunam, & fata dolebis,
Nunc dare vota, fidem verbis, iurare per astra,
Pérque Deos, multum promittere, fingere. Nullam
Quippe fidem regni, nullámque Cupidinis olim
Dixerunt veteres, veréque hęc comprobat ætas.
Muneribus tentes, quia multum munera possunt.
Quod castrum, aut murus quis inexpugnabilis au-
Qualiscunq; alijs, tibi semper amabilis esto (ro est?
Sisque tibi gratus, quoniam tu dignus amore,
Dignus amore tui, quem forma, & mollior ætas,
Ingenium, vires, virtus, & cætera reddunt
Fœlicem, similem tibi tempora nulla tulerunt.
Sic tua te nimium lactabit opinio, donec

Umbra

*Umbra captus eris, cœcúsque peribis in illa.*
*Talia fatus Amor, diuellit ab arbore ramum,*
*Qui gelida maduit lethæi fluminis unda,*
*Et teneri frontem, formosáque tempora spargens,*
*Te posthæc, inquit, Narcisse haud noueris ipse.*
*Hinc facie iuuenis mutari, aut mente videtur.*
*Mox ascendit equum, qui cæca Libido vocatur,*
*(Quippe ferox nunquã morsũ, neq; fræna ferebat)*
*Protinus ut dorso sessorem sentit inermem,*
*Cursitat huc illuc, iuuenis per deuia fertur,*
*Per loca plena rubis, spinosa, incognita, dura,*
*Per iuga, per valles, puteos, latebrásq; ferarum,*
*Per vada, per fluuios, per mille pericula, donec*
*Decidat in terram pronus propè flumen amœnum,*
*(Per ripas dum currit equus) cui præpite cursu*
*Fons ruit ex alto scopulo, atq; Philautia vulgò*
*Dicitur, hac postquam sitis illi extinguitur vnda,*
*(Nam valdè incaluit iuuenis, sudánsq; sitiuit)*
*Continuò cerebrum sopor opprimit, atq; per amnẽ*
*Decumbit lassus viridi benè cespite fultus,*
*Securúsq; leni Zephyro spirante quiescit.*
*Iámque ferè medium rapido Sol lumine cœlum*
*Attigerat, cum vix somno experrectus in auras*
*Oscitat, & retrò iuuenis circumspicit, vt qui*
*Vix loca, vix sese noscit (mirabile) tandem*

*Surgit, & ad ripas erecto corpore dum stat,*
*Vmbram flammigeri Solis splendore nitentem*
*(Quę formam liquidis quasi viuã reddit in vndis)*
*Aspicit, aspectúque suo stupet inscius, atque*
*Iam dubio, cuius facies sit, pectore voluit.*
*Accedens propius fluuio sua lumina figit,*
*Atque gemens alta dum clamat voce per auras*
*Garrula ab aduersis respondet montibus Echo.*

*O forma, & facies verè pulcherima* *rima*
*Quæ colis hunc fluuium, quẽ nutrit fons sacer* *acer*
*Quisquis es, haud nosco, sed si fas quærere* *rere*
*Dic precor, & tua laus de me cantabitur* *itur*
*Quis nouus hic ardor turbati pectoris* *oris*
*Qui flammas solito maiores parturit* *urit*
*Nil mihi respondes? frustrà clamatur* *amatur*
*Si placet, exito, simul hic sedeamus* *eamus*
*At quocúnque ieris, te nolo relinquere* *quære*
*Clara dies sine te mihi nox, & terror* *& error*
*Rósque leuis sine te mihi cana pruina* *ruina*
*Æstiuusq; calor sine te nix aspera* *spera*
*Quid sine te sperem? num vox clamoris* *amoris*
*Per syluas resonans tandem cognoscitur?* *itur*
*Spes in amore meo sine te iacet obruta* *ruta*
*Solamen sine te dolor est, & amaror* *amaror*

Et

Et nequeo sine te, sine vita viuere — uerè
Non adeò rudis est facies, & agrestis — agrestis
Vt tibi spernendus videar, vel ineptus — ineptus
Qui fruar optato. Me a fama perennis — Erynnis
Fama mei miseri, qui iam periturus — iturus
Te Narcissus amat; non vox ea perfodit — odit
Multæ me Nymphæ petierunt vndique — diique
Quis sonus irridet gemitum clamantis? — amantis
Heu pereo, tempus sine fructu labitur — itur
Quique sua multos facie pellexerat — errat
Hunc facies aliena, ignotàque pellicit — icit
Pellicit (infandum) cogitque perire — perire
O miserere mei mea fata dolentis — olentis
Et miseram sine te vitam degentis — egentis
Nil mouet, vt video, totus sine spe queror — error.

Talia clamantem ridet resonabilis Echo,
Dum stupet ipse sibi, propióque exardet amore.
Sæpe petit fluuium, velut oscula blanda daturus,
Cumq; petit petitur, sed quod petit inscius, vmbrã
Non putat esse suam, nec quid sit noscit ineptus.
Sæpe manus offert, & signa remittit imago,
Quæ motum adstantis liquidis imitatur in vndis.
Sic dum turbat aquas, facies obscura videtur,
Et videt, & queritur, sed quod vult possidet ipse,

 Atque

*Atque frui nescit, tantus tenet error amantem.*
*Nunc solito Phœbus cursu peragrauerat orbem,*
*Móxq; venire parat, tenues quæ dissipat vmbras.*
*Tum iam visa diu liquidas vanescit in auras*
*Vmbra, nec apparet iuueni, qui quærit vbique.*
*Pallida nunc facies, modò quæ formosa, dolore*
*Viscera sicca, manúsq; tremunt, speciosaq; pendent*
*Brachia, paulatim frigescit sanguis, & expes*
*Extrema fundit miseras has voce querelas.*
*Ergon' abire voles? miserúmq; relinquere amantē*
*Quò fugis? ah nimium crudelis, siste parumper,*
*Et videam saltem, si tangere non licet, ora.*
*At frustrà exclamo, quoniam reuocabilis ille est.*
*O vos syluicolæ Satyri, Faunique bicornes,*
*Naiades, & sacræ Dryades mea tristia fata*
*Plangite, nam vester queritur Narcissus, & æger*
*Quod modò vidit amans, sine spe nunc luget ademptū,*
*Quodq; oculis placuit, nunc pectus perfodit ipsum,*
*Sic vidi, & pereo, sic vult fortuna, vel error.*
*Hæc vbi dicta dedit tendens ad sydera palmas,*
*Terque gemens dicit pereo, formose valeto,*
*Dure nimis, repetens iterum, formose valeto,*
*Deficiunt vires, & vox, & spiritus ipse*
*Deficit, & pronus de ripa decidit, & sic*
*Ipse suæ perijt deceptus imaginis vmbra.*

*Protinus*

Narcissus.

*Protinus hæc miseri casus vulgata per orbem*
*Fama volat (nec enim quicquam velocius illa est)*
*Cum iuuenis mortem venus indignata serena*
*Despicit è cœlo, cœtuque adstante deorum*
*Has querulas profert lachymanti voce loquelas.*
*Nonne mei miseret Narcissi, cuius amores*
*(Proh dolor) infandi scopulos, & littora, ripas,*
*Syluarum abstrusas latebras, clausasq; cauernas,*
*Aerios montes, valles, loca deuia, lucos,*
*Oceanum penetrant, & cœlos, tecta deorum,*
*Atq; Stygis tandem penetrabunt fluminis vndas?*
*Non prorsus morietur (ait) sed viuet in herba.*
*Flos erit, atque suo sumet de nomine nomen,*
*Cuius erit croceus maculis color intimus, atqui*
*Per medium folijs cingetur mollior albis.*
*Sic Narcissus erit specie formosus, vt olim,*
*Flósq; Iuuentutis (siquidem placet) inde vocetur.*
*Annuit his verbis superûm celeberrima turba,*
*Et subitò (vt fertur) corpus iuuenile vigentem*
*Vertitur in florem, retinens sua nomina semper,*
*Flosque Iuuentuti sacer est, bene notus in aruis.*
*Vltima sors hæc est nimium infœlicis amantis.*

FINIS.